



Ed quoniam quæ nobis de terræ positione dicenda fuerunt, & sphaeram totam definiuimus. Nunc quæ in ea signa sunt nominabimus sigillatim. Equibus igitur primum, duas arctos & draconem, deinde arctophylaca cum corona dicemus. Cæterum qui engonasin uocatur, exinde lyrain cum Oloté & Cepheo et eius uxore Cassiopeia, filiâq; Andromeda & genero Perseo. Dicemus etiam protinus aurigam à Græcis *ἀυρίοχος* appellatam.

Ophiuchum præterea, cum sagitta, & aquila, paruóq; delphine. Inde equum dicemus, cum eo sidera quod deloton uocatur, his corporibus enumeratis ad duodecim signa perueniemus. Ea sunt hæc, aries, taurus, gemini. Deinde cancer cum leone & uirgine. Præterea libra dimidia pars scorpionis, & scorpius cum sagittario, & capricorno. Aquarius uero cum piscibus, reliquas habet partes. His connumeratis suo ordine est cetus cum Eridano flumine & lepore. Deinde Orion cum cane, & eo signo quod procyon dicitur, præterea est Argo cum Cætauro & ara. Deinde hydra cum pisce qui notus uocatur. Horum omnium non inutile uidentur historias proponere, quæ certe aut utilitatem ad scientiam, aut iocunditatem ad delectationem afferent lectori.

Arctos maior.



igitur ut supra diximus initium est nobis arctos maxima. Hanc autem Hesiodus ait esse Calisto nomine, Lycaonis filiam, eius qui in Arcadia regnauit, eamque studio uenationis inductam, ad Dianam se applicuisse, à qua non mediocriter esse dilectam propter utriusque consimilem naturam. Postea autem ab Ioue compressam, ueritatem Dianæ suam dicere euentum, quod diutius celare non potuit. Nam iam utero ingrauescente propediem partus, in flumine corpus exercitatione defessum, cum recrearet, à Diana cognita est non seruasse uirginitatem: cui dea pro magnitudine suspicionis non minorem retribuit poenam. Erepta enim facie uirginali in ursæ speciem est conuersa, quæ græcè arctos est appellata. In ea figura corporis Arcada procreauit. Sed ut ait, Amphiscomediarum scriptor, Iupiter simulatus effigiem Dianæ, cum uirginem uenantem ut adiutans persequeretur, amorem à conspectu cæterarum compressit, quæ rogata à Diana quid ei accidisset quod tam grandi utero uideretur, illius peccato id euenisse dixit. Itaque propter eius responsum in quam figuram supra diximus, eam Diana conuertit. Quæ cum in sylua ut fera uagaretur, à quibusdam Aetolorum capta, ad Lycaonem pro munere in Arcadiam cum filio est deducta. Ibi dicitur inscia legis in Iouis Lycei templum se coniecisse, quam confestim filius secutus est. Itaque cum eos Arcades insecuti interficere conarentur, Iupiter memor peccati, ereptam Calisto cum filio inter sidera collocauit. Eamque arctum, filium autem Arctophylaca nominauit, de quo postea dicemus. Nonnulli etiam dixerunt cum Calisto ab Ioue esset compressa, Iunonem indignatam in ursam eam conuertisse, quam Dianæ uenanti obuiam factam ab ea interfectam, & postea cognitam inter sidera collocatam, sed alii dicunt: Cum Calistonem Iupiter esset in sylua persecutus, Iunonem suspicantem, illud quod euenit, contendisse, ut eum manifesto diceret deprendisse. Iouem autem quo facilius suum peccatum tegetetur, in ursæ speciem conuersam reliquisse. Iunonem autem in eo loco pro uirgine ursam inuenisse, quam Dianæ uenanti ut eam interficeret demonstrasse: quod factum ut perspiceretur Iouem egre tulisse, effigiem ursæ stellis figuratam constituisse. Hoc signum, ut plures dixerunt, non occidit, & qui uolunt aliqua de causa esse institutum, negant Thetis Oceani uxorem id recipere, cum reliqua sidera eum perueniant in occasum, quod Thetis Iunonis sit nutrix, cui Calisto succubuerit ut pellex. Arietus autem Tegeates historiarum scriptor, non Calisto sed Megisto dicit appellatam, & non Lycaonis, sed Cætei filiam, Lycaonis neptem. Præterea Cætea ipsum engonasin nominati. Reliqua uero superioribus conueniunt. Quæ res in Nonacri monte Arcadiæ gesta narratur.

Hanc Agla-

Arius